Taratia Seb. Jos: Aqua Martia ad sudores in laborioso honoris negotio diluendos D. Alberto Papenkowic – librata atque deducta.

AQVA
MARTIA

Ad Sudores in laborioſo honoris negotio diluendos

CLARISSIMO & ADMODVM REVERENDO DOMINO,

D. ALBERTO PAPENKOWIC,

VSTIENSI,

Sac: Theologiæ Doctori & Profeſſori,

COLLEGÆ MAIORI

Eccleſiæ Collegiatæ S. FLORIANI Cuſtodi,

Protonotario APOSTOLICO,

Cancellario Lancicienſi, Contubernij Staringeliani Prouiſori.

DVM

Sub Feliciſsimis Auſpicijs,

Magnifici, Perilluſtris & Admodum Reuerendi Dñi,

D. STANISLAI IVRKOWSKI,

Sac: Theologiæ Doctoris & Profeſsoris,

Protonotarij Apoſtolici, Præpoſiti S. FLORIANI

Cuſtodis Opatouienſis,

Scholarum Collegij Vladislauiani Prouiſoris,

Studij Almæ Vniuerſitatis CRACOVIENSIS,

Procancellarij Digniſsimi,

ET

GENERALIS RECTORIS

PER

M. SEBASTIANVM IOSEPHVM TARALICZ,

Philoſophiæ Doctorem & Profeſſorem, Contubernij Staringeliani Seniorem.

Publici Applauſûs & Obſeruantiæ gratiâ

LIBRATA ATQVE DEDVCTA.

Anno Salutis 1666. Die 22. Menſis Februarij,

CRACOVIÆ, Apud Hæredes & Succ. Lucæ Kupiſz, S. R. M. Typogr.

CLARISSIMO & ADMODVM REVERENDO DOMINO,

D. ALBERTO PAPENKOWIC,

Sacræ Theologiæ DOCTORI,

Domino & Patrono Fauentissimo.

DVlcem credo aliquam in hodierno honoris, atq; muneris negotio expectabas à me eloquij ambrosiam, Clarissime & Admodum Reuerende Domine; sperabas forte à fontibus exundantis facundiæ boni alicuius nectaris laboribus tuis reficiendis, atq; sudoribus diluendis liquores obuenturos: ecce verò dùm in tanto spectaculo Aquas Tibi Martias *repræsento, vultum tuum grauitatis Maiestate, & virtutis splendore conspicuum cum verecundia extimesco. Si etenim gloriosas naturæ tuæ dotes inspicio, amplissimæ: si ingenium admiror, felicissimum: si virtutum maximarum studia expendo, perfectissima: si humanitatis diffusos in quemuis affectus considero, largissimi: si perfectionem in eruditionis atq; scientiarum studio contemplor, exactissima: si deniq; omnia ornamentorum genera, omnia dignitatis decora in te venerari expostulo, hæc sunt fateor augustissima. Atq; vel hac ipsa meritorum amplitudine perterritus cum humili sermonis mei riuulo, & cum dioptra ex arte profluentis* Martiæ *in publico non auderem comparere applausu, nisi tales aquæ in honorem Fauni mense Februario ad Sacrificia applicari solitæ, arcanam complecterentur in se virtutum tuarum in symbolo rationem. Quare Vir Clarissime, dùm per vastissimos tuorum meritorum campos vndæ meæ veri candoris puritate conspicuæ decurrent, vtinam oculis tuis ad amænitatem arrideant, & iuxta veritatis æquitatem tibi blandiantur. Et verò præsentis librationis meæ aquas, tuæ menti vel ideo placituras spes optima pollicetur, quod cùm teste Melisso, Thalete, & Hesiodo in aquis rerum omnium sit origo atq; initium, nulla in re euidentiùs Schema omnium virtutum tuarum meliùs depingi poterat, quàm in ipso fontis limpidissimi emblemate. Prætercam ego aquarum puritatem cælestium orbium colores imitantem tuo candori applicandam: quia præter eiusmodi comparationem nulli non candidus comprobaris; taceam facilem vndarum naturam atq; flexibilem perbellè bonitatem naturæ tuæ designantem: quia extra talem imaginem, ad quæuis lenitatis atq; bonitatis facinora facillimus esse agnosceris: non commemorem augmenti, atq; alimenti rationem à plerisq; animantibus conseruandæ vitæ gratiâ expeti solitam designandæ humanitati tuæ conformem; quia ad humanitatē natus in humanitate viuere albo cuiusuis candidi pectoris calculo collaudaris. Sileo in icone affabilitatis tuæ depingenda, ab aquis ornamenta pratorum, decora hortorum, florum incrementa, syluarum, montium, regionumq; delicias prouenire; quia*

sic

sic cuiusq; genio prudentissimis alloquijs tuis arrides, vt cùm desiderio diuturnioris præsentiæ vbiq; acceperis; Missas deniq; facio, & alias bonas quarumuis aquarum dotes: quia vltra harum similitudinem palam perutili integritatis diluuio exundas. Aquarum tamen gloriam, quas Martias *dixi ad tua trahendam encomia præterire non possum: si etenim tales aquæ ab Anco Martio, à Martio Rege, à M. Agrippa, ab alijsq; Magnis Magnæ Vrbis Romanæ viris suam iactant originem, suumq; commendant principium: nonne tu Vir Clarissimè iustiùs dexteritatis tuæ atq; virtutis, prima initia gloriæ singulari adscribenda censebis? qui ab eximio* Viro Iacobo Vstiense, S. Theol. & Iuris Vtriusq; Doctore, ad S. FLORIANVM Præposito, Librorum per Cracouiensem Diœcesim Ordinario Censore: Toroniensis Caluinorum execrandi Monstri profligatore, primo Cursûs Vladislauiani Professore, atquè toties Fascium Academicorum Rectore, *qui inquam à tam eximio Viro patruo tui amantissimo eruditionis atq; probitatis desumptis principijs, in sublimes honoris atq; gloriæ felicissimo pede decurris ascensus. Etsi iterum ego origine nobilem respexero,* Martiam, *& ecce illa artificiosis, per aliquot millia passuum in Vrbem decurrit libris, nec à Cursu conquiescit, donec ad vsum hominum exoptatum delabatur; quid aliud tu Vir Clarissime attentasti, qui satis laboriosos passus in stabili manens proposito ad eum finem suscepisti, vt multoru m commodis profuturus, æternùm perennaturam gloriam tibi compares. Atq; vel inde duplici lauro in Philosophico coronatus studio, dogmatibus einsdem scientiæ instituere Religiosam iuuentutem minimè renuisti, ex cuius studij beneficio, nunc Magnis Religio florentissima gaudet Doctoribus. Commendarem hîc quoq; curam singularem, quàm olim sustinueras in Coloniæ Biatensis regimine, nisi eandem amore suo in te* Illustrissimi Radziwielij *tuorum gratissimi laborum plerisq; indicijs, iam ante sufficienter commendassent. Celebrarem in Vladislauiani Cursûs professione, & in Decanatûs Philosophici dignitate solers studium, atq; nobilissimum ingenium, sed etiam ista omnia Academicus Maiorum consensus te vocando ad Collegia ex æquitate in vim præmij celebrauit. Dicerem ex institutis Illustrissimis Demetrio & Constantino Wisniouiecijs Ducibus memorandas nominis tui laudes, sed has ipsimet beneficij tanti memores in diem hodiernam Magni Principes eloquuntur. Profectò quidquid commodi in instituenda hominum indole ex prudentissimis quibusuis viris in mentes mortalium aliquando profluxit, hoc ex te in generosas plerasq; mentes, tanquam ex* Martijs Aquis *in populum Romanum feliciter atq; gloriosè dimanauit. Quia verò fontem eiusdem Martiæ non modò hominum communi vsui, sed etiam sacrificijs, festis publicis, Deorumq; aris perutilem ex lectione esse didici, non abs re esse exstimem, si te quem in humanæ scientiæ studio absolutum cognoui, eundem in Diuinis sacræ paginæ institutis exercitatum admirer. Etenim cùm iam tres Olympiades præterierint, ex quo misterijs Diuinæ sapientiæ propalandis, & ex arduo eruendis inhias; cum perdifficiles Magistri Sententiarum Libros legendo, cùm diligentia atq; cùm dignitate confeceris; arduasquè Theologici Studij Theses publico examini atq; disputationi prudentissimè proposueris, nemo te in cælesti pagina negabit ex-asse versatum, doctè institutum, ingeniosè sapientem. Nequè mihi in tantis comparandis laudibus blandientis animi suspicionem extimescendam esse censeo; quemadmodum enim teste Plinio meliores Martijs nullas alias aquas approbauit Roma; ita hæc eadem Vir Clarissime tuas dotes, vt potè omnibus probatissimis Viris pares libentissimè coronauit; vbi in publico sapientiæ suæ spectaculo* Sacræ Th. Doct: *fecit, approbauit, proclamauit. Adeò quippè tua dignitas in hocce obtento honore vrbi Dominæ complacuit; vt eidem firmandæ, gratissimo te excipiens vultu* Suptemus è Vaticanæ sedis fastigio, in terris Dei Vicarius, *manum benedictionis paternæ admouisset. Verùm quid ego in cohonestanda nominis Tui præstantia elaboro, quem licet præclarè factorum tuorum amplitudo ad id ipsum induxit, beneuolentia inclinauit, effusissimæ humanitatis officium informauit, apertissimæ probitatis documentum confirmauit, nihilominùs cùm vt aquæ fortissimæ quædam non quouis vase, ita præstantissimæ virtutes tuæ non qualicunq; ingenij mei opere comprehendi possint; manum tollo ex tabula. Loquatur pro me hodiernus tantæ dignitatis gradus, & qui quouis purpurati Senatûs Academici ore atq; consensu nobis hodie cùm publico festiuæ acclamationis applausu obuenit celebrandus; in perennes idem annos, felicissimè te nobis incolumi existente bonâ sorte, bono omine celebretur. Ego interea degustato Martiæ puteo, vt aliquando Delphici Apollinis Vates, præsentis negotij applausus solemnes, venerationis gratiâ, carmine tuo nomini sacrato decantabo. Quæ omnia vt beneuolus humanissimo fauoris tui gremio complectaru, cùm debita officij mei tibi multùm obligati promptitudine expostulo.*

ODE DICOLOS TETRASTROPHOS.

NYmpha Parnaſsi ſociata Cliuo,
Docta per dulces modulante plectro
Ferre concentus, tibi dùm peruſtus
Feruet Apollo.
Diffluos riui repetens ſuſurros
Fontis è vaſto remeantis agro
Quæ canis curſus; Maris& per vndas
Ludis in arte.
Laudibus pernix celebrare natas
Fontibus dotes, & in amne quidquid
Militat formæ, pretio, ſaluti,
Cuncta rependis.
De Camænarum grege fauſta noſtro
Spiritum plectro, celeri fauore.
Confer: vt ſim vel Triuiæ profundo
Doctus in antro
Cardiæ fluctus taceam, nec imbres
Aureos cæli referam, nec acres
Eloquar termas, gracilesq; baias,
Munera Gangis.
Dona vel Tagi, fluuijq; Nili
Monſtra vel ſolo metuenda viſu
Stridulos fontes properantis vndæ
Arceo de nunc.
Martium prono lubet artis ore
Ducat vt pectus puteum, ſalubres
Fundat vt guttas: abeatq; pleno
Martia fonte.
Virginem puros refluam per agros
Quæ ſuo mundet facili nitore,
Quæq; viuaces faciat vigere
Corporis artus.
Iſta Romano placuit colono
Iſta nutriuit populum Quirinum
Iſta Diuinis fuit in theatris
Impia lauans.

Sed quid extollo melioris æui
Gratias: quales fuerint aquarum
Narro virtutes. Mihi ſi ſtat alto
Martia ductu.
Martiam PAPENKOVII ſalubrem
Fonte quæ largo ruit, appetentes
Vocis addictæ celebrate ſuaui
Carmine mecum.
Terra quæ noſtris dabit iſta Regnis,
Fluminis quâ munera parte cernam
Tanta, Vir quantis nitet Vſtienſis
Clarior orbi.
Ille non vili cadit ex canali
Sed nec è duro ſalit ille ſaxo
Non ab ignotis fluit actus aruis
Monte ſed alto.
Mons erat mirè Patruus vireſcens
Quo ſuper laurus viruit ter acta
Circulo terno, decorata terno
Munere montis.
Lumen hinc ſacræ tenebroſa chartæ
Surgit, illuſtrans loca; nec fidelis
Abfuit Iutis Lydius, Sophûm nec
Circulus abſens.
Has togatorum ſtetit inter aras,
Publicè ſi quid libuit legendum
Ferre, ſcriptorum calamis valorem
Sparſit Apollo.
Vſtienſis vertice mons ab alto.
Fulſit in tantum capitis decore,
Phæbus, vt quantum radiat per arces
Luce Latinas.
Pulſa ſeceſſit ſocialis ex hinc
Vis, graui noſtris inimica zelo
Pulpitis, Romæ ſeparata iuſtæ
Codice legis.
Inde Caluinus Toruni vibratas
In Dei rem peſtiferas ſagittas
Fregit, infectis aciem triumphis
Iecit inanem.
Vicit hos magno patruus labore,
Fortibus poſthac retinenda ſcutis. B Duxit

Duxit in Lecho docili, bonoq;
Pectora Stoæ
Martæ nodoſæ rationis ille
Primus in Cracæ Sophiæ theatro
Quæ Vladislano pretio tenetur
Currere ſuaſit.
Dignus vt faſces regeret Iagellos
Hos quibus gaudet populus per altas
Liberæ vitæ reuocatus auras
Lumine mentis.
Nunc ab hoc cliuo venientis vndæ
Quo ruit fluctus videamus ; altis
Alueis currit, graditur per altos
Flumine colles.
Ille Mitratos procerum penates
Doctor inuiſit, dedit ille celſis
Mentibus Styrpis melius Ducalis
Dogma ſalutis.
Ille Białenſem tenuit palæſtram
Principi Magno, placidus, bonuſque
Radziuilinos habuit fauores
Tempus in omne,
Inde Collegis ſociatus his, quos
Primus admiſit gradus ad ſupremos
Ire progreſſus : ſtetit aſt & altam.
Sumptus in aulam.
Quæ ſibi doctas ſolidæ Mineruæ
Expetit mentes, numeroquè Patrum
Hunc Virum duxit grauitas honoris
Eſſe legendum.
Hinc Sophûm doctæ placuit cateruæ
Poſt, ducem quæ purpurea togatum
Veſte laudaret, dubios ſcientem
Soluere nodos.
Arduos curſus ſtudij ſophorum
Luſit & felix, refluens per arctos
Alueos artis, tulit omne punctum
Diuite fluctu.
Curris heus fauſtus tibi, laboriſquè
Nilus vt laxos remeans in agros
Dona cùm curſu reuehit tumenti,
Largus in vndis

Flumen

Flumen hoc Wiſniowiecios ad artus
Ceſſit, vndis Demetrium rigauit.
Fratre cùm Magno, dedit ampla lotis
Dogmata vitæ.
Ergo ſat iam ſit, redeat nec inde ;
Dulce ſi Baias Dominis habere
Fonte ſub tanto ? taceat proteruæ
Fabula linguæ.
Currit vltra plus, properatq; greſſu,
Ipſius ſacri pelagi profundas
Currit in ſedes, reſeratquè miro
Ardua curſu.
Quæ Magiſter propoſuit docenda,
Sacra quæ ſenſit, legit ille, ſolis
Perquè bis ſeptem, docuit recurſus
Scire ſacrarum.
Quæ Sibyllino meliora voto
Protulit, cunctis licuit videre
Arte ſed natum, ſine Marte frangi
Non tulit audax.
Victor in tantis melior triumphis
Non ſatis celſæ fieri Mineruæ
Dixit in regno, tenet ergo terræ
Regna Quirinæ
Limen ad ſacrum varias per oras,
Pergit, & diſcit breuiore ſêclo
Mos quis, & quænam generi decoris
Cura cuiquè
Quis ſitus regnis, ſocialis atquè
Vita, naturæ faueantquè dona
In quibus terris, faciatue quænam
Ars ibi mira.
Iamque Romani caput orbis exſtat
Ille quod tandem bene viſitauit
Et ſacram iuſtis meritis repoſcit
Fertq; coronam.
Namque præcelſum radiantis aulæ
Culmen, in docto ſibi dat ſenatu
Præſciam Laurum, viridem triumphi
Munere palmam
Sic Coronatus petijt moderni
Præſulis ſummi faciles in aulam

Sumpsit & felix aditus; tulitquè
Verba loquentis.
O mihi faustos remeantis vndæ
Nobiles cursus, redeant beati,
Monte de summo, properent in oras
Currere nostras.
Stant & in riuo Lechicis sacrato
Iure Musis, conficiunt petendas
Hinc aquas; Termasquè salutis vndant
Gurgite vasto.
Ire iam vobis liceat per altum
Cælitus natæ pelagus Mineruæ
Fas sit & sacri maris in profundos
Pergere fontes
Sacra quos scripsit propriè Magistros
Iam Schola, en cuncti numero suorum
Voce te poscunt socium probantquè
Omine dextro.
Viue ter votis, precibusquè ternis
Poscimus, quos non latet alta mentis
Quam bonæ virtus, facilisquè largæ
Dextera fortis.
Candor ignaras habet haudquè mentes,
Laudat effusos animi fauores
Quisquis expertus scit, & ampla quemq;
Mens tua vidit.
Viue Staringlî Domus ardet ore,
Sueticas per te sibi quæ ruinas
Esse non nouit nocuas, resarta
Dat tibi cultum.
Quos alumnos hæc habet ipsa poscit
Viue, nam cernit sua cuiquè iura
Esse sub iusto; satiatur omni
Te paste victu.
Suasit hæc plectro Dea nata nostro
Hos tulit cantus rediensq; risit
Colle de celso, caput in tuumq;
Flexit honorem.

(*)